



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VII. Quia ita est venerabilis, ut qui illi non servit fiat miser.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

credidit, ac neglexit: sed Virgo rursus redit, ac hominem sanat, ille Curionem accedit, petitque consilium, rursus Virgo apparet, ac templum postulat: tum demum ille liberaliter omnia offert: sed cum essent dotales agri, de ijs sine consensu conjugis disponi non poterat, ideoque hæsitabat, quid ageret, (conjunctæ Aquigranensem ad Deiparæ Ecclesiam, pro salute mariti obibat peregrinationem) et subito ope Angelorum sistitur marito, ingens utriusque gaudium, & consilij collatis, statuunt templum erigendum. Primo itaque diluculo sequentis diei, cum Prætor Villano, ac Curione alijsque amicis locum spectaturi abeunt in agrum: en aream vident filo sericeo ad virgulas albas terræ infixas circumdatam, hoc manifestello lati signo, aream Virgini dedicant, sed nondum suavitatis Virginæ finis Linum biduo ante fatum illo fuit loci, hoc statim altera die maturum manus vellentium provocavit: erectum deinde templum, coepit miraculis coruscare.

Sed jam erga Boloniam suavitatem spectemus. Loquuntur *Bolonenses historici ad annum 635*. Statua Virginis vecta est per Gallicum pelagus, absque velo, absque remis, & absque omni nautico instrumento, hæc in Boloniensi litore constitit, altero ad puppim, altero ad proram adstante Angelo: exceperunt hospitium gratissimam Wilbertus & Duda Comites Bolonienses, ac templum erexerunt; sed eo demum præ senio labente, apparuit Virgo, & locum novo templo designavit, pro cuius fundamentis dum eruitur terra, thesaurum inveniunt, qui ædificando templo par fuit. Quod sequitur scribit *S. Greg. lib. 1. dialog. c. 9*. S. Bonifacius Episcopus Ferentinus largitus in elemosynam depositos apud se sui nepotis aureos duodecim, quos cum nepos importunè repetit, nec habet unde Episcopus refundat, confugit ad B. Virginem, quæ illi aureos supra pallium demissa Puella septennis à Deipara petens psalterium, & legendi peritiam, utrumque concessuta. *Tb. Cantipr. lib. 1. Apum cap. 23.*

7. Quia ita est venerabilis, ut qui illi non servit fiat miser.

Sic eos *Ecclesia Græca in Mensis 30. Martij* detestatur, qui cultum Virginis abjiciunt. Simul & inimicissimi nobis, & planè execrâdi videntur, qui tuam ô Virgo Filijsq; tui imaginem adorare detrectant: propterea quòd dicto audientes non sunt Divinis Patrum nostrorum decretis. *Joannes Eviratus Monachus in prælo cap. 4. cujus historiam Synodus 7. approbavit*, cum retulisset de quodam Eremita vehementer agitato impuris insultibus, & quòd dæmon illi pacem promitteret, si cultum B. Virginis relinqueret: addit, quòd illi consulenti Abbas Theodorus vir permagnus sic

sic respondit: Illud persuasissimum tibi esse debet, levioris esse flagitij in quod-
 liber lupanar urbis intrare, quam Deo ejusque Matri debitum cultum & religio-
 sum honorem denegare: etsi enim libidinis & scortationis execrabile sit scelus,
 & pœnis æternis vindicadûr: impietas tamē quæ à vera nos religione avocatur, quæq;
 Deum & Dei Matrem alterum altero religionis genere venerari nos prohibet, mul-
 to est libidine ipsa deterior. *Maximus Abbas & Martyr.* Qui non dicit Dominam
 nostram omni hymno celebrandam, & sanctissimam, & immaculatam, & omni
 intellectuali naturæ venerabilem, naturalem verè Dei Matrem factam, qui fecit
 coelum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: esto anathema, à Patre & Filio
 & Spiritu Sancto, consubstantiali Trinitate, & ab omni virtute coelesti, & choro
 SS. Martyrum, omnique Spiritu in justitiâ consummato, & nunc & semper in
 sæcula sæculorum Amen. Mitius est habitus sed tamen castigatus *B. Eskilus Da-*
nonimus Archiep. de quo *Christoph. Henricus*: in *Faseic. SS. Ord. Cisterc. lib. 1. d. 30.* Hic ad-
 huc puer annorum circiter duodecim missus causâ studiorum ad Hildesemensem
 Academiam, in Saxonia morbo correptus gravissimo, & supremis munitus sacra-
 mentis, extra se abreptus, videbatur positus prope quendam clibanum ardentem,
 à quo subito abreptus, in eo tamen exitum reperiens, ad locum aliquem liberum
 ab igne erepsit, & progressus ad quoddam pallatium, in quo B. Virginem Regali
 Majestate conspexit inter Angelos, illam ergo accessit petendo misericordiam:
 sed eum nec respicere dignata, imò minaciter allocuta, jubet quantocius ad
 ignem redire; assistebant Virgini inter alios, Episcopus civitatis Decanus, &
 quidam Canonicus, horum implorabat preces Eskilus, qui etiam orabant pro eo
 Sacrosanctam V. sed illa respondit. Quid est quod rogare præsumitis pro ado-
 lescente illo vanissimo, meoque respectu indigno? hic enim perversus ac lubri-
 cus, nunquam me honoravit, neque salutationem meam vel una vice repræsen-
 tavit, tum ipsemet adolescens coepit orare: Misere mei pijsima Domina, mi-
 serere mei Miseratrix humani generis, & nè claudas à me misero inexhausta visce-
 ra misericordiæ tuæ, quia paratus sum amodò & usque in sempiternû servire tibi,
 & te super omnia post Deum venerari; quod si genitor meus istam calamitatem
 agnosceret, maxima auri pondera pro mea liberatione libenter impenderet.
 Talia cum oraret, jam serenatâ facie Sancta Mater respectans ait: Quid igitur pu-
 tas, num quod valeas te ipsum apud me condigno pretio redimere? in hoc enim
 me forsitan placare posses, si congruum mihi pro tua redemptione pretium per-
 solveres, tum ille fiducia hæc accessit, ac dixit etiam atque etiam, clementissima
 Domina, ego me optimè redimam, & quidquid mihi jusserit Dignatio tua, liben-
 tissimè

tissimè faciam, tantummodò mihi propitia esto, nec me in illum ignem cruciandum amplius remittas. Cui Regina. Volo igitur ut de quinque generibus annorum, s. mihi modios, hoc est de singulis singulos non negligas reddere, quo ille audire respondit alacriter, charum est mihi ò charissima Domina, quod imponis mihi, valdeq; jucundum, & ego mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabo in horreum tuum; quod cum ille promississet, pro illoque fidei iussissent prædicti intercessores, iussus ad humana redire: tum subito confidens coepit in lectulo clamare cum gaudio. Benedictus Deus ego liberatus sum, & amplius non ardebo. Gratias ago tibi Sancta Dei Genitrix Virgo, quæ me liberasti ab incendio isto, & amplius non ardebo. Interrogantibus quid rei esset? respondebat. Deo gratias ago, non ardebo. Tandem processu temporis, intelligens per quinque modios, quinque monasteria ille erexit, & in uno eorum sanctissimus mortuus.

Omitto quas Deus poenas de blasphemantibus Virginem sumpsit, neque enim numerus facile exemplorum finiretur. Illud quotidianum est, quod supra oppidum Mercuriale ad fines felicitatis Campaniæ contigit ad imaginem dictam de monte Virginis; quia ille locus coli solet abstinentiâ à lacticiis, & carnibus: si quis intulerit in eum solummodò quidpiam tale, sive casu, sive oblivione, sive ignorantia, repente cælum ipsum excandescit, ingentes pluvie, ac procellæ excitantur: imò si quæpiam foemina (ut mos illius gentis) intret juncto adipe capillitio, ita cælum vindicat, donec relectum capillitium exuratur. Poenam hoc tantum unam apponam, non tam blasphemie, quam cujusdam dissidente *ex relat. p. Pauli Castellii*. Dum sculptor imaginem ligneam formaret, quæ ante Refaldensis appellatur: interrogatus à quodam amico, quandonam illa prima esset patratura miraculum? respondit, postquam sibi è capite emerissent cornua, ecce rem novam! suâ se temeritate damnavit, & repente cornutus apparuit, deditque initium colendæ statuæ. *B. Alanus de Rupe lib. de psalt. cap. 11. sub finem*. Secretum jam pandam tibi Divinæ providentiæ: scias enim & securè intelligas, quod & indilatè alijs patefacias, quod videlicet signum probabile est, & proprium æternæ damnationis, horrere & adædiari, & negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparativam, habentibus verò devotionem ad hanc, signum est ordinationis, & prædestinationis permagnum ad gloriam. *Idem ibi spectat dictum de laud. Virg.* Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur, quicumque non sunt scripti in libro tuo ò SSma Virgo. Refert *Regorius de Hoveden. p. 2. ann. Anglicanorum in Richards ad annum 1198. in civitate quadam Italia,*

italiæ, non longè à Januis accidisse. Civis quidam effectus energumens, mox plures: ac jam tot ut quisque sibi metueret, nè quisque simili casu corripere, advocarunt itaque Abbatem de Luccio Ord. Cisterc. & alios viros religiosos in consilium, statutum, ut ab omnibus triduo jejunaretur, tum Abbas in nomine Jesu demoniacos spiritus allocutus, cur hanc civitatem diu vexarent? respondet unus ex ijs, nos exire cogitis ex vasis nobis rationabiliter concessis, nos sumus illa legio demonum, quam Jesus vester ab homine ejectam, permisit precipitare porcos in mare, nunc autem vinculis, quibus tenebamur soluti, potestatem accepimus, in blasphematores tantum Virginis Mariæ in hac igitur civitate invenimus tales, inventos sicut dignum est in vasis. In Concil. 2. Niceno refertur. Constantium Constantie Cypri Episcopus sequens miraculum retulit. Rusticus quidam (prædictæ civitatis) cum ingressus fuisset templum Desparæ, vidensque imaginem depictam in pariete, arrepto stimulo, quo boves agitare solebat, oculum dextrum imaginis pupugit, & delevit, confellum verò ut egressus est, cum voluisset stimulo agitare boves, ferrum subito confractum est, cujus particula advolans contra oculum dextrum rustici, illum penitus contrivit, & in terram deiecit. *Damian. lib. 6. cap. 32.* in S. Virgine, refert ruinam, & calamitates multorum monasteriorum, quia cultum S. Virginis neglexerunt, ita enim inquit: Quia Matrem veræ pacis de suo monasterio projecerunt, dignum est ut inquietis, calamitatum, tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur. *B. Hermannus* ita cecinit Virgini. O amana vitæ vena, languet mea mens egena, nil est valens, te non habens, perit vadens, malè tabens, gaude Virga nunquam arens, aret autem tu carens. Quia ut *Anonymus in Bibliothec. Vatic. allegatus à Maraccio in notis Marialis Ade Perseus in fine.* Hæc est Mulier, quæ ubicunque non est, non est nisi gemitus, & egestas. *Eccl. 36. ubi non est mulier, ingemiscit eger.* Ubicunque enim non est Maria per gratiam, non potest esse nisi miseria, & egestas. *Surius in vita S. Donnoli Episc. Canonianensis.* Quidam occupavit villam B. Virgini dicatam, hunc accessit S. Donnolus dehortando à malo, sed cum nihil proficeret, manum Dei imploravit, quæ cogeret sacrilegum ad id reddendum, quod abstulit; immittit ergo homini febris, sed ille neque sic ad pietatem incubuit: tandem una nocte contempit Virginem S. quæ illi ferreo malleo vulneravit frontem, tum ille insanus emisso sanguine sapere coepit, & ablata quamprimum reddere, reddita & illi sanitas, sed cæcatrix in memoriam pervicaciæ relicta in fronte.

Minus peccaverat S. Edmundus Cantuariensium Episcopus, neque tamen impune tulit. Scribit *Maraccius in Antist. Marianis pag. 149.* Habuit ille quondam

singulis diebus S. Virgini dicere orationem; accidit ut studijs abstractus sui more oblivisceretur, sequenti nocte B. Joann. Evang. illi cum ferula comparuit, ut puerum Edmundi periret, quo vehementer terrebatur Edmundus, sed & Joannes mitior fuit, & contentus minis, sed imperavit sedulo, ne unquam omittet prædictam orationem. Scribit *Bovius annalium lib. 12. quod anno 1180. accidit, et ab Alexandro III. examinatum et approbatum.* Erat quidam prædives Burgens in loco, qui dicitur Rota Amatoris in Gallia, à quo monachi Ecclesiæ S. Mariæ & S. Amatoris mutuo acceperunt pecunias, cortinas illius Ecclesiæ tradentes illi loco pignoris; imminente autem festo Dei Genitricis, rogârunt prædicti monachi, ut illas cortinas pro triduo concederet Ecclesiæ; quibus exornaretur, negavit ille asserens illas esse circa lectum suæ mulieris, quæ nuper ei puerum pepererat: transit itaque festus dies sine ornatu, tum B. Virgo uxori in somnis apparuit, & dixit: Vir tuus peccatum grande commisit, nec poterit impietatis excessu derelinqui impunitus, tertiâ enim die infans tuus spiritum exhalabit, & vir tui morti debitum solvens, in die octava mutabit hanc temporalem felicitatem supplicij æternis; tu autem proficiâs ad Ecclesiam meam, quæ est in Bethlem, & circumspicis ibi tribus sepulchris, quorum quidem extrema duo vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrum, interim omni feriâ quartâ, circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret ab ore tuo, & naribus sanguis multus, & usque ad horam nonam sabbati veluti mortua permanebis, quæ omnia juxta ordinem evenerunt. Hanc ipsam severitatem jam olim in Judæos exercitam vera est *D. Brunonis sententia serm. de Annunt.* Nulla est creatura quam sic Judæi odio habent, sicut Matrem hanc & Filium. Videamus & poenam. Horribile fuit Hierosolymorum excidium, contigit verò illud sexto idus Septembris, hoc est Natali ipso Virginis. *Josephus lib. 6. de bello cap. 14. 15.* idque Sabbato, quæ dies Virgini dedicata, ut Justitia Divina ostenderet, non modo sacrilegium illorum commissum in Dei Filium, sed etiam scelera in Virginem admittisse punivisse.

8. Quia ipsis Angelis Nobilior.

S. Thomas opusc. 4. Exceptit Maria Angelos in tribus, in quibus excedebant ceteros homines, videlicet: gratiæ plenitudine, familiaritate Dei, & puritate. Hinc *S. Ephrem orat. de Virg.* Sublimior es cœlicolis, purior solis radio & splendorebus. *S. Genatius M. epist. ad Joann.* In Maria Matre Jesu humanæ naturæ, naturæ sanctitatis Angelicæ sociatur. Valdè desidero aspectum hujus cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi. Id mihi figurâsse videtur *Exod. 35.* constructio tabernaculi ad quod unusquisque quod optimū habebat offerebat extruendum, Principes autem